



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput XIII. Quomodo spiritum suum renovare solitus fuerit, alijsque  
renovandum svaserit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

Divinam benignitatem. Urgebat verò etiam vehementer celebritatis hujus æquitatem tum profano ac vulgari exemplo hominum Natales suos, per quos mundo editi vivere simul & mori incipiunt, celebrantium; tum altero sacro & usitato Ecclesiæ, quæ Natalitia Sanctorum ex hac mortalitate ad cœlestem gloriam, & vitam immortalem translatorum festivis celebritatibus in memoriam revocat, non solùm ut eis felicitatem eam gratuletur, sed ut etiam pro ea DEO largitori cum ijs reponat, quas potest gratiarum actiones.

### C A P V T XIII.

Quomodo spiritum suum renovare solitus fuerit, alijsque renovandum svaserit.



Um eximiè peritus rerum earum, quæ ad animam tractandam pertinent, sciret facilè in hac fluxa in malum ac segnitiam mortalitate veterascere posse spiritum; ideo semet frequenter excitabat, diebus certis, ad floridam spiritûs Juventutem. Spiritum porrò vocavit, eam Christi gratiam, quâ electi filij DEI animantur, & quâ excitante incipiunt, committante continuant,

nuant subsequente perficiunt opera DEO placita & vitæ æternæ meritoria cuius spiritûs est. I. *Qualitas, sive Rectitudo* ejusdem, quâ in sublime ad DEUM erigitur; & *Sanctitas*, quæ omnium virtutum exercitio comparatur; & *Principalitas*, quâ filij DEI supra vulgarem & mediocrem nobilitatem, sanctitatémque ad summam & eminentem extolluntur. II. *Quantitas*; ut altitudo spiritûs eminentissimâ DEI charitate, profunditas demississimâ humilitate, latitudo undique diffundendâ obedientiâ, longitudo venturæ beatæ æternitatis desiderio mense-  
furetur & terminetur.

*Vetustatis* porrò nomine intellexit eum gratiæ statum, quem habet existens quidem in homine, neque eum omnino destituens, sed sinè insigni vigore, sinè operationum excellentia ac frequentia, ad eumque modum languens ac deficiens, quo hominum ætate provectorum Vita occumbit potiùs, quàm currat aut consistat, nullâ strenuitate & activitate, aut actibus (sicut Juventus aut status Virilis) commendata. Renovationem ergo hujus spiritûs consistere in reductione ejus, ad eum statum, in quo tanquam recens & novus, excitatè ferventer, & excellenter commoveret efficerétque omnia, redderétque eos quos animâsset, & quasi depulsâ senectute Juvenes, & post hibernam congelatio-

lationem vernantes, & se lætissimè in frondes, suavissimè in flores, copiosissimè in fructus explicantes.

Modum renovandi spiritûs & tollendæ vetustatis debere esse ajebat, per *Intentionem*, *Contentionem* & *Executionem* emendandam, si quid rubiginis sit contractum; adjungendam deinde detestationem suæ ingratitude, erga *Divinum Spiritum*, cujus profusæ in nos gratiæ, denuo conciliandæ & captandæ. In *Intentionem* solent irreperere dehonestamenta quædam, sive fumi à Carne, Mundo, ac Satana, item Sensualitates, Vanitates ac Malitiæ, quæ se fini actionum & vitæ ingerunt, ut non solus DEUS in omnibus intendatur. Et *Intentionem* hanc per additionem aliarum *Intentionum*, perficiendam esse, ut ferventior & illustrior in conspectu DEI compareat: quod Orationis exemplo, & Sanctæ comunionis paradigmate sic declarabat. Orandum mihi nunc est ex Obedientia; obsequar ut sim *obediens*: sed & orabo ut DEUM confitear, *Fidelis*. II. Ut ab eodem salutis auxilia obtineam, *Sperator*. III. Ut ad eundem diligendum super omnia inflammer, *Amator*. IV. Ut eundem adorem & colam, *Religiosus*. V. Ut eum Patrem recognoscam, *pius filius*. VI. Ut eidem Domino subijciar, *Servus natus*. VII. Ut ei gratias pro beneficijs agam, *Gratus Clientis*.

Ad

Ad Sacram Communionem aditurus agebat: accedam inquit SS. Eucharistiam. I. Ut Pane vitæ animam meam vivificem. II. Ut ignorantiaæ meæ à præsentis sole Justitiæ lumen mutuem. III. Ut Infirmitati meæ robur obtineam. IV. Ut concupiscentiaæ ardores extingam. V. Ut malitiaæ meæ duriæ ejus bonitate expungam. VI. Ut mihi & proximis vivis remissionem peccatorum obtineam. VII. Ut fidelibus piè defunctis ad visionem DEI quamprimam obtinendam præstem suffragiū.

Similiter alia opera incepturus, lectionem, Manuales operas, examen. Intentionem obedientiaæ ordinariam alijs sanctis Intentionibus cumulabat, existimans non finè rationabili fundamento tot se in uno actu DEO virtutes oblaturum, quot ei sanctas intentiones adjunxisset. Quibus insuper ampliavit valorem præstantissimus Chrysopæus, inaurando & aurea reddendo, unione meritorum Christi & Charitate; ut quidquid ageret, ex hac fornace Divini Amoris eliquatum produceret. Neq; isto adhuc auctario contentus erat, quodvis opus peractum hisce intentionibus, novâ politurâ condecorabat. Si exempli gratiâ, laborem aliquem DEI causâ confecisset, hunc, inquit, ego meum vilem laborem, hancque respectu indignam fatigationem in mare magnum labo-

L rum

rum & fatigationem Domini Nostri JESU Christi, velut exilem guttulam injicio, eique omnes Sanctos qui sunt, fuerunt, & erunt, & omnium etiam possibilium Creaturarum obsequia debitè & possibiliter præstanda adiiciens, humillimè Divinæ Tuæ offero & consecro Majestati. Idem in alijs quoque operibus & actibus factitabat, sperans se hâc Divinâ Chrysopeâ vile suum plumbum in præstantissimum aurum transformaturum ità redintegratam voluit *Intentionem*.

Quoad *Contentionem* & conatum in operando, hunc (ajebat) segniorem facit: langvor, inepti respectus, anxietates, ineptæ interpretationes, remissiones, dilationes ac omissiones, quæ avertenda. *Executionem* retardat inepta ignavia sinè integritate operum, sinè elegantiâ, & excellentiâ. *Intentioni* ergo puritas, & rectitudo succedere debet, *Contentioni* fervor, *Executioni* constantia & elegantix cura.

Placandus verò Spiritus Sanctus, penitissimâ sui evisceratione. Quam quia ipse Martinus stylo eleganti, sublimitérque illuminato ad gustum posuit per alloquium: eandem ad verbum ex ejusdem sensu affero, ut videatur, quantâ luce beata ipsius anima in rebus Spiritûs illustrata fuerit, quàm curialiter ut sic loquar, agere cum DEO didicerit. Sic ergo ille suâ dulci  
Apo

Apostrophe post peractam spiritûs renovationem, ad placamentum Divini Pneumatis accedebat.

Bénignissima, ait, *Spiritus*, de cujus munere sum id, quod sum, nè patiaris quæso benignitatem tuam dulcissimam & facillimam à maligna & agresti ingratitude mea superari; sed quod incepisti in immerito & tantopere, continuasti, dignanter hoc in supplici miseratus confirma, & perfice instanter! Tua sunt illa erga me merita, quando ab æterno in Divinæ Providentiæ arcano consilio, mea ordinabatur conditio postquam decretum fuisset, ut è possibilibus exemptus censerer in futuris, jam Tu te mihi ductorem parabas. Quando evoluta & revoluta secula Creationis meæ tempora & momenta advexerunt: Tu te proximo officio accingebas. Quando me conditum in malè materiata Patris Adami domo, originalem maculam contraxisse notâras, Tu abolitionem ejus pro me sinè me sollicitabas. Quando exponi & abijci poteram, vel in infidelitatum solitudines, vel in errorum sylvas, ut in Christi Regiam lactandus mamillâ Regiæ Ecclesiæ importarer, Tu effecisti. Quando Rationis meæ diluculum appetebat, ut oculi mentis ad eam, quam tunc attingere poterant, DEI cognitionem levarentur, direxisti. Quando parvulus famens, doctrinæ

panem appetere incipiebam, qui mihi hunc frangeret, providisti. Quando provecior in confusa mundi Civitate coeperam ambulare, contigitque postea me interdum cadere, foedari, debilitari: Tu me brachio sancti consilij erexisti, ad sacrum Pœnitentiæ lavacrum adduxisti, in SS. Eucharistiæ mensa, copiosè roborâsti. Quando advertebas inimicos imbecillitate meâ provocatos, hostilitates adversus me exercendas strenuè disponere, perfecisti ut me quoque spiritus fortitudinis faceret non inermem. Quando illi dies imminebant in quibus alloquendus eram, ut sub vexillo Christi spiritualis miles conscriberer, quid tunc Tuus erga me amor non agebat? quid non argumentorum ad persuasivonem ordinabat? quid non amoliebatur impedimentorum? Te internuntio ac interprete convenit inter me & Christum, pactus sum, & promisi me signa ejus secuturum, ejus imperatis victurum, atque moriturum. Quando verò in me inciderunt, qui me ex conditione hac honorifica excutere, & à Christo separare, variarumque tentationum laqueis ad infelicitatis vias retrahere conarentur, nōne tu accurristi, & laqueos cautelâ evadere, tentationes resistentiâ frangere, & ex ijs proventū facere & augere docuisti? Per quæ tanta in me impensa munera tua eō ego sum adductus fiducia, ut sen-



ut sentiam te totius militiæ hujus meæ cursum  
 eò dirigere, ut feliciter eodem consummato  
 cum laude finalis perseverantiæ in ejus termino  
 constituas, & coronam justitiæ de manu remun-  
 eratoris DEI consecutus, eam tibi cum æter-  
 na gratiarum actione referam in acceptis. At  
 ecce nunc videor debere incipere contraria.  
 Non permittat id obsecro mitissima Bonitas tua!  
 non permittat, indulgentissima dulcedo! cui si  
 quid meum, si que ego obsistam, En tibi omnia  
 mea! En me totum ex asse tuum! nec super-  
 esse uspiam, nec unquam cupio, nisi Tuus.  
 En paradigma sublimis cum DEO ad meridiem,  
 conversationis, ex cujus luce, miras in reliquis  
 sensis, illuminationes & magnificentias quas-  
 dam spiritûs quo Martinus hic noster agebatur,  
 non obscure colligere, venerarique poteris.

## CAPUT XIV.

Quâ devotione Sanctos Patronos  
 menstruos coluerit.



Onsvetum est, in Domibus Socie-  
 tatis, quòd Calendæ Mensis cujusli-  
 bet, sortes aliquas inferant, per  
 quas omnibus ac singulis Domesti-  
 cis unus aliquis Divorum Coelitum, quorum